



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Refelluntur nugæ Synodi Smalchaldicæ Lutheranorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Monachum in suo cubiculo scribentem? Sed iam Lutherò di-
missio ad Melanchthonem veniamus.

CAPVT XIX.

Refutantur nuga Synodi Smalchaldicæ Luthe- ranorum.

XSTAT libellus de potestate & primatu Papæ,
seu regno Antichristi, nomine Synodi Smalchaldicæ
dicē editus, qui quidem Melanchthonis mihi esse
videtur; sed cuiuscunq; sit, nihil nisi verba, & ina-
nem iactationem habet: Constat, inquit auctor libri, Roma-
nos Pontifices cum suis membris defendere impiam doctrinam,
Et impios cultus. ac planè nota Antichristi competunt in re-
gnum Papæ, Et suamembra. Haec tenus propositio, nunc pro-
bationes audiamus: Paulus enim ad Thessalonicenses descri-
bens Antichristum, vocat eum aduersarium Christi, extollen-
tem se super omne quod dicitur, aut colitur Deus sedentem in
templo tanquam Deum. Loquitur igitur de aliquo regnante
in Ecclesia, non de Regibus Ethniciis; Et hunc vocat aduersa-
rium Christi, quia doctrinam pugnantem cum Euangelio ex-
cogitatus sit, Et is arrogabit sibi auctoritatem diuinam.

Quanquam haec omnia, et si vera essent, parum nobis offi-
cerent: peto tamen quo fundamento nititur hæc interpreta-
tio: Paulus apertè dicit, Antichristum seipsum eleuaturum su-
pra omnem Deum, & in templo sessurum, non vt Regem,
non vt Episcopum, sed planè vt Deum; & hoc idem disertis
verbis affirmant Chrysostomus, Ambrosius, & ceteri huius
loci veteres interpres. Quo iure igitur vos sine teste, & sine
ratione affirmatis Antichristum esse eum, qui sedet in tem-
plo non vt Deus, sed vt Episcopus; & adeò non se effert super
omnem Deum, vt non solùm Deum Patrem, & Filium, &
Spiritum sanctum adoret, sed etiam coram omni populo se se-
prosternat ante Sacramentum Eucharistiae, ante sepulcra A-
postolorum & Martyrum, ante crucem, & imagines Christi
& Sanctorum, quæ vos ipsi, licet impiè, Deos alienos, & idola
appellare soletis? Sed videamus hoc ipsum quemadmodum
accommodetis ad Papam.

PRIMVM autem constat, Papam regnare in Ecclesia, & pretextu Ecclesiastica auctoritatis, & ministerij sibi haec gnum constituisse. Pratexit enim hac verba: *Tibi dabo clavis*.

Regnare Papam in Ecclesia, vos quidem dicitis, sed non probatis. Nos vero contrarium nullo negotio demonstrare possumus. Nam qui regnat, superiorem in regno suo non cognoscit; Papa vero Christi Regis vicarium se, & famulos profitetur. Et quamvis in tota domo Dei, atque in universitate Christi regno amplissima potestate utatur; ea tamen potest non excedit Oeconomi, ac serui conditionem. Nam & Moses (ut Paulus ait ad Hebr. 3.) *Fidelis fuit in tota domo Dei*, sed tanquam famulus; Christus autem tanquam filius in sua sed pergit.

DE INDE doctrina Papae multipliciter pugnat cum Evangelio, & arrogat sibi auctoritatem diuinam tripliciter. PRIMVM, quia sumit sibi ius mutandi doctrinam Christi, & cultus a Deo institutos, & suum doctrinam, & suos cultus iustificari vult tanquam diuina.

Hoc item dicitis, & non probatis; neque solum id est falsum, sed mendacium etiam impudentissimum esse videatur. Nec enim ignoratis, in Ecclesia Catholica, omnium ostendere doceri, Christi doctrinam, & cultus non posse ab ullo homine, sed nec ab ullo etiam Angelo mutari; nec unquam inter nos & vos quæstio fuit, an debeat credi, aut fieri quod Christus docuit, aut iussit: Sed vos ne, an nos melius Christi doctrinam, & præcepta interpretemur. In qua quidem questione vos nihil ferè aliud afferre soletis, quam vestram ipsorum interpretationem; nos vero Patrum consensum, & Catholicæ Ecclesiæ, vel decreta, vel consuetudines. Nec enim (ut vos falso iactatis) Patrum consensus atque Ecclesiæ decreta & consuetudines, verbo Dei opponimus; sed interpretationi & iudicio vestro. Sed audiamus secundam probationem.

SECUNDO, quia sumit sibi potestatem non solum ligandi, & soluendi in hac vita; sed etiam sumit sibi ius de animabus post hanc vitam.

Ethoc dicitur, sed non probatur. Nec enim Summus Pontifex ius sibi in animas defunctorum sumit. Cum non auctoritate illas a peccatis vel poenitentia absoluat, sed solum per modum suffragij preces, atque opera bona fidelium viuorum

cuius

cum illis communicet. Prodeesse autem defunctis viuorum
preces & eleemosynas, ac præcipue Missæ sacrificium, omnes
veteres docent. De qua re cum nos alibi fusè disputauerimus,
hoc loco vnum Augustini testimonium annotasse sufficiet.
Igitur serm. 34. de verbis Apostoli ita loquitur AVGVSTINVS:
*Orationibus vero sancta Ecclesia & sacrificio salutari, & ele-
mosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitan-
dum mortuos adiuuari. Sed pergit.*

TERTIO, quia Papa non sicut ab Ecclesia, aut ab alio iu-
dicari, & auferit suam auctoritatem iudicio Conciliorum &
totius Ecclesia. Hoc autem est se Deum facere, nolle ab Eccle-
sia aut ab illo indicari.

Hic quoque duo dicuntur, quæ non probantur. Nam in-
primis, quibus Scripturis, quibus Conciliis, qua ratione pro-
batis, debere Papam à Conciliis, vel Ecclesia iudicari? Nos
enim legimus (vt alia prætermittam, quæ libro superiore satis
disputata sunt) Petro dictum à Christo, Ioan. 21. *Pascere oves
meas; nec dubitari posse credimus, oves à pastore regendas, &
iudicandas esse; non pastorem ab ouibus. Illud etiam legimus
Lucæ 21. eidem Petro dictum: Quis putas est fidelis dispensa-
tor, & prudens, quæ constituit Dominus super familiam suā?*
Quo loco videmus œconomum quēdam toti familie Chri-
sti præpositum, certè vt eam regat, non vt regatur ab ea.

Ac ne fortè obiceret aliquis; quid si œconomus ille fuerit
malus, à quo tandem iudicabitur, si omnibus præest, nulli
subiicitur? Propterea subiecit Dominus continuò: *Quod si
dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus
venire, & cæperit percutere seruos & ancillas, & edere, &
bibere, & inebriari: Veniet Dominus serui illius in die qua nō
sperat, & hora quæ nescit, & diuidet eum, partemq; eius cum
infidelibus ponet. Auditisne quis iudex sit mali illius œcono-
mi, quem constituit Dominus super familiam suam? Non
enim ait Christus, à Concilio iudicetur, sed *Veniet Dominus
in die qua nō sperat, & quæ sequuntur.* Itaque sibi Dominus
seruat serui illius iudicium, quem super vniuersam familiam
suam ipse constituit; proinde non auferit Papa auctoritatem
suam iudicio Conciliorum, & totius Ecclesiæ, cùm ab eo se
iudicari non patitur. Non enim auferri potest quod nunquā
est datum. Sed neque Concilia ritè congregata id sibi vñquā*

ddd 5 assum-

assumpserūt, ut extra casum hæresis, in Pontificem summam sententiam dicerent. Sed de hac re satis multa suo loco.

ALTERVM quod dicitis, & non probatis, illud est; hoc se Deum se facere, nolle ab Ecclesia aut ab vlo iudicari. Nam cùm (ab vlo) dicitis, sine dubio ab vlo homine intelligi; nec enim ignoratis, Pontificem à Christo iudicandum esse, & credere, & profiteri. Quo pacto autem se facit Deus, qui iudicandum se esse à Deo credit?

Deinde reges terræ certè iudicem in terris quoad res politicas attinet nullum agnoscunt; & sententia vestra, qui Episcopos coactiuæ potestate spoliatis, nec in Ecclesiasticisibus verum aliquem iudicem habent. Num igitur tamen Dij, quot sunt Reges? Non existimo ita vos insanire, vñ hoc dicatis. Restat igitur, vt verum non sit, qui à nullo homine iudicari velit, eum continuò Deum se facere.

P O S T R E M O additis; hos iam horribiles errores, & has impietatem defendit summa sauitia, & interficit dissententes.

Hic verò quām impudenter mentiamini vel ex hoc no[n] cognoscere potestis, quod ego ipse qui hæc scribo palam sero, idque in ipsa vrbe Roma (& Pontifice non ignorantia) non licere Pontifici mutare Christi doctrinam, aut cultus neque cultus nouos instituere, qui habeātur pro diuinis, qui cum Euangeliō vlla ratione pugnant; & tamen amplius non modò non interficior, sed nec aliquid molestiae paucum. Nimirū probè nouit Pontifex me vera dicere, vos vero martiri. Quemadmodum etiam paulò pòst cùm additis: Dicitur na de pénitentiâ prorsus depravata est à Papa, & à suis membris; docet enim remitti peccata propter dignitatem nostrorum operum; Item, nusquam docent, quod gratis propter Christum remittantur peccata. Quæ sane non sunt nostra dogmata, sed vestra mendacia. Nec enim id nos doceimus, sed contrarium omnino, vt Concilium Tridentinum.

scilicet cap. 5. 6. 7. & 8. apertè testatur.

Sed de his satis. Transeo
ad Galuimum.



CAPVT